



**R. P. Ioannis Præpositi Atrebatis, E Societate Iesv, S.
Theologiæ Doctoris, & quondam in Vniuersitate
Louaniensi ac Duacensi Professoris, Commentaria In
Tertiam Partem S. Thomæ De Incarnatione Verbi ...**

LePrévost, Jean

Dvaci, 1629

Qvæstio LXXXVII. De remiſſione venialium peccatorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94249](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94249)

ARTICVLVS V.

*Virum remissâ culpâ mortali tollantur
omnes reliquie peccati?*

Resp. neg.

NEGAT, quod patet experientiâ: nam sæpe post remissionem peccatorum relinquuntur prauus habitus generati ex actibus peccatorum, qui tamen per pœnitentiam, & retractationem censentur inuoluntarij, nec imputantur ad culpam.

Docet verò S. Tho. has reliquias manere potius per modum dispositionum, & debilitatas, ac diminutas, ita vt homini non dominantur, quia videlicet per gratiam sanctificantem, & actualia auxilia homo potest earum vires reprimere.

ARTICVLVS VI.

*Virum remissio culpæ sit effectus
pœnitentiæ?*

Resp. affir.

AFFIRMAT, quod patet ex dictis circa articulum primum.

QVÆSTIO LXXXVII.

*De remissione venialium
peccatorum.*

ARTICVLVS I.

*Virum peccatum veniale possit remitti
sine pœnitentiâ?*

I.

REMITTIT peccatum veniale aliquammodo à Deo separare, seu Deum etiam offendi per veniale, quamuis non vsque ad dissolutionem amicitie, ex quo fit, vt illud debeat relinquere aliquam maculam in animâ, vt censet articulo sequenti responsione ad tertium, quamuis ea non sit perfecta, de qua videtur intelligendus 1. 2. q. 87. art. 1. negans peccatum veniale causare maculam in animâ. ex his vltius fit peccatum veniale esse verè peccatum, quod ostenditur 1. 2. q. 88. hoc præmissis.

Resp. negativa.

Negat veniale remitti sine pœnitentiâ.

Probatur, manente causâ manet effectus, ergo quamdiu voluntas adhæret peccato veniali non potest remissionem illius consequi; censetur autem adhærere, quamdiu illud nullo modo retractat.

Docet autem non sufficere habituale displicentiam, quæ habetur per habitum charitatis, vel pœnitentiæ virtutis, quia sic charitas non comparetur peccatum veniale, quod patet esse falsum. id est, si ad hoc, vt veniale censetur retractari, sufficeret habitus charitatis, nullus iustus vnquam haberet peccatum veniale, quod est aperte contra Scripturam dicentem: *Septies cadit iustus, & in multis offendimus omnes, si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus.* Ex quibus Scripturæ locis patet veniale posse de lege ordinariâ, atque adeo frequenter consistere cum statu iustitiæ,

quod etiam ex Patribus, & sensu Ecclesiæ est indubitatum.

Ad remissionem ergo peccati venialis requiritur saltem virtualis displicentia, vt idem S. Tho. hinc quando responsione ad secundum ait, dicens quod passio pro Christo obtinet vim baptismi, & ideo purgat ab omni culpâ & veniali & mortali, nisi actualiter voluntatem peccato inuenerit inhaerentem, non vult in eo casu peccatum etiam veniale remitti sine pœnitentiâ virtuali, sed solum sine actuali, quod intendebat argumentum, in quo, ex eo quod in casu martyrij peccatum remitti posset sine actuali displicentia, concludebatur ad eius remissionem non requiri pœnitentiam, respondet autem S. Thom. non necessariò requiri actualem displicentiam, vt peccatum remittatur per martyrium, (vt patet in dormiente, qui pro Christo occiditur) sed martyrium purgat ab omni culpâ, nisi actualiter voluntatem peccato inuenerit inhaerentem, si videlicet adsit saltem virtualis displicentia, quæ in eo casu moraliter potest præsupponi semper adesse, quæ responsio probatur 1. ex eo quod tradit in Corpore, scilicet ad remissionem venialis requiri virtualem saltem displicentiam. 2. ex eo quod vim tribuat martyrio, eo quod passio pro Christo suscepta obtineat vim baptismi, qui tamen non delet peccatum actuale sine omni pœnitentiâ. 3. quod eam vim etiam tribuat respectu peccati mortalis, quod absque controuersia non remittitur (saltem de lege ordinariâ) sine aliquâ pœnitentiâ, vt patet ex Trident. sess. 6. cap. 6. & 14. & sess. 14. cap. 4. non ergo vult virtualem pœnitentiam non esse necessariam ad remissionem peccati venialis, quam etiam responsione ad tertium ostendit requiri.

DVBIVM I.

*Virum ad remissionem peccati venialis
requiratur pœnitentiâ?*

SCOTVS in 4. distinct. 21. q. 1. post medium sententiam veniale posse deleri per omne opus meritorium hominis iusti, quod Deo magis placeat, quam ipsum veniale.

Durandus dist. 16. q. 2. in solutione primæ rationis requirit formalem pœnitentiam.

S. Tho. hic requirit quidem pœnitentiam; sed tamen censet virtualem sufficere, quod tenent plures alij.

Scoti sententia nititur fundamento aliquoties in superioribus relato, scilicet post actuale peccatum nihil remanere aliud, quam obligationem ad penam, quo posito facile potest peccatum veniale remitti etiam de condigno per opus meritorium hominis iusti, cum iustus per opera meritoria mereatur diminutionem pœnæ. 2. facile potest intelligi, quomodo non quodlibet veniale deleatur per quodlibet opus meritorium, quia non quodlibet opus meritorium meretur totius pœnæ deletionem, sed plius vel minus iuxta operis præstantiam. 3. facile potest intelligi quomodo non sit necessaria retractatio peccati ad hoc, vt remittatur veniale: quia vt pœna alicui condonetur, non est opus retractatione, vt patet in purgatorio.

Sed fundamentum illius sententiæ falsum est, vt dictum est: nam etiam veniale suo modo relinquit maculam, quæ non est nuda destinatio ad penam, vt doceri solet 1. 2. Secundò iuxta principia

Scoti

Scoti peccatum veniale, cui etiam voluntas adhaeret, remitti potest. si enim post actum peccati remaneat sola obligatio ad penam, peccatum potest dici remitti, quamvis homo in eo sibi complaceat, cum homo possit interea exercere opus meritorium, ratione cuius consequatur remissionem penæ, quia tale opus non amittit vim suam propter huiusmodi complacentiam in peccato commisso. Confir. Scotus censet veniale coniunctum mortali in inferno tandem remitti, cum homo in inferno non retractet peccatum præteritum, imò in eo sibi complaceat. 3. Scotus minus conformiter suis principiis videtur addere illam particulam, quod magis placeat Deo, quam veniale, cum quodlibet opus meritorium hominis iusti mereatur aliquam penæ diminutionem, & magis Deo placeat, quam penæ. his præmissis

Dico 1. vt remittatur peccatum veniale requiritur aliqua pœnitentia.

Probat. 1. ex August. epist. 43. in fine: *Nec quæquam putes ab errore ad veritatem, vel à quocumque, seu magno seu parvo peccato ad correctionem sine pœnitentiâ posse transire. lib. de verâ, & falsa pœnitentiâ, cap. 8. Est pœnitentiâ assidue peccantibus assidue necessaria: in multis enim offendimus omnes, quæ quotidie remittuntur, si semper deplorantur: ubi aperte sermo est de venialibus.*

Probat. 2. peccatum veniale est vera offensa Dei relinquens in animâ non solum obligationem ad penam, sed etiam veram maculam, vt S. Tho. articulo sequenti ad tertium, nihil autem est magis congruum, quam vt is qui vult consequi remissionem offensa, de eâ pœnitentiam agat, ergo verius est pœnitentiam requiri ad remissionem venialium obtinendam.

Probat. 3. sententiâ Scripturæ, quæ peccatores hortantur ad pœnitentiam, iudicantes illam esse necessariam ad obtinendam peccati remissionem, possunt etiam suo modo intelligi de peccato veniali, per quod Deus verè offenditur.

Probat. 4. peccatum veniale non remittitur per quodcumque opus meritorium, eò quod illud opus mereatur augmentum gratiæ, cum etiam augmentum gratiæ habitualis consistat cum peccato veniali, & iustus saluâ iustitiâ sæpius in die cadere possit, & verè dicere: in multis offendimus omnes. neque etiam remittitur ex eo quod Deus per quodlibet opus meritorium ab amico honoretur, quia homo iustus saluâ iustitiâ, & saluo etiam eo quod non desinat Deum honorare, potest venialiter peccare, cum iustus possit opus meritorium exercere, & eodem tempore alio actu venialiter peccare. adde quod cum secundum Scotum non omne peccatum remittatur per quodlibet opus meritorium, iustus bene operans possit in peccato veniali permanere. neque tertio peccatum veniale remittitur per quodlibet opus meritorium ex eo quod homo per opus meritorium melius disponatur ad consequendam vitam æternam, eiusque augmentum, in quo proinde tolli debeant impedimenta gloriæ, non, inquam, quodlibet opus meritorium mereatur ex eo capite remissionem peccati venialis: quia, vt iam dictum est, homo potest per opus bonum supernaturale mereri augmentum gloriæ, & nihilominus venialiter peccare. vnde ius ad maiorem gloriam optimè potest consistere cum peccato veniali. & quamvis per quodlibet opus meritorium iustus semper acquirat remissionem saltem alicuius partis penæ, nihilominus impedimentum quod consistit in offensa Dei, non

tollitur per quodlibet opus bonum, cum non quodlibet opus bonum censetur continere retractionem offensa commissa.

Dico 2. ad deletionem peccati venialis sufficit pœnitentia virtualis. ita Communis Doctores, & patet ex dictis supra, ubi ostendimus virtutalem pœnitentiam sufficere ad remissionem etiam mortalis. Porro hæc virtualis pœnitentia respectu venialis censetur adesse in eo actu dilectionis Dei super omnia, per quem homo non tantum Deum ita amat, vt nihil velit quod eius amicitia repugnat, eamque dissolvit, sed etiam implicitè saltem procedit vsque ad ea, quæ repugnant extensivæ perfectioni amoris, seu ad ea, quæ etiam saluâ amicitia Deum offendunt, eique displicent, qualia sunt venialia, quod videtur velle S. Tho. hic ad tertium, dicens: *Fervor charitatis virtualiter implicat displicentiam venialium peccatorum*; non enim agit de fervore intensivo, seu de intensione actus charitatis, quam constat intueri posse cum complacentia venialium, sed de fervore, vt ita dicam, extensivo, seu ratione cuius creatura ita adhæret Deo, vt si occurreret, doleret de omni eo quod Deo displicet, quamvis eius amicitiam non dissolvat.

Quando verò talis pœnitentia habetur, remittuntur omnia peccata venialia (quamvis aliqui contrarium teneant) patet ex motu actus quod est uniuersale sese virtute extendens ad omnia venialia. idem dicendum de contritione, quæ ad omnia venialia se extendat, quod si actus amoris Dei, vel actus contritionis non se extendat ad omnia venialia, sed ad certa quedam, ea sola remittuntur. probatur, quando neque actus, neque virtute se extendit ad vlla venialia, nulla venialia remittuntur ratione talis actus, ergo si se extendat ad aliqua, non tamen ad omnia, remittuntur quidem ea ad quæ virtute extenditur: non tamen ea quæ nullo modo per huiusmodi actum respiciuntur.

Suarez disp. 11. sect. 3. num. 10. indicat esse probabile Deum propter actum amoris ferventem in intensione, qui secundum extensionem non ita opponitur venialibus, remittere vel omnia, vel aliqua peccata venialia iuxta dispositionem suæ sapientiæ, tum propter meritum, & satisfactionem talis actus, tum etiam quia verisimile est eum, qui tali fervore amat Deum, detestaturum fuisse veniale peccatum si illi occurrisset. quod videtur dictum minus probabiliter iuxta principia ab eo posita: si enim requiritur saltem virtualis pœnitentia ad remissionem peccati venialis (prout ipse asserit cum S. Tho. hic) actus autem charitatis non habeat ex sola intensione, quod sit virtualis pœnitentia venialium, non videtur posse probabiliter dici venialia remitti ratione talis intensiois. nec obstat quod dicit talem detestaturum fuisse peccatum veniale si ei occurrisset: quia si non obstat talis hypothesi actus non inuoluit virtutalem pœnitentiam de venialibus, conditionalis nihil operatur, vt ad aliud propositum docet numero 5. eiusdem sect. si verò includat virtutalem pœnitentiam, receditur ab hypothesi.

Confir. si huiusmodi actus sufficienter proportionetur, vt tanquam meritum, vel dispositio accipitur ad remissionem venialium, quorum ne quidem virtutalem inuoluit pœnitentiam, cur idem non possit dici de omni actu pio hominis iusti, prout censet Scotus? & per consequens cur necessaria iudicetur virtualis pœnitentia peccati venialis ad eiusdem remissionem? probabilis ergo videtur

Conclus. 2. sufficit pœnitentia virtualis.

S. Thom.

Actu amoris Dei vel contritionis remittuntur ea sola, ad quæ illi actus extenduntur.

6. sententia suavis in proposito

Minus probabilis reputatur secundum eius principia.

detur

detur iuxta supra posita solum actus intentionem, quæ non habet coniunctam virtutalem extensionem ad venialia, non conferre immediatè ad eorundem deletionem.

7.

Obiectio 1.
contra 1.
conclus.

Contra priorem conclusionem obici potest 1. S. Thom. artic. sequenti in fine Corporis dicens: *Quandocumque de nouo gratia infunditur, peccata venialia remittuntur*; gratia autem potest infundi sine virtuali etiam penitentia venialium, vt patet in eo qui de solis mortalibus elicit contritionem.

Resp.

Resp. S. Tho. neque dictis, neque sibi ipsi repugnare: ideo enim hanc propositionem ponit, quod existimet in adultis non contingere gratiæ infusionem sine actuali motu liberi arbitrij in Deum, & peccatum. ex quo patet eum existimare peccatum veniale remitti quando infunditur gratia propter virtutalem saltem penitentiam, quæ in huiusmodi actu inuenitur. dictum verò intelligitur moraliter, hoc sensu, quia, moraliter loquendo, quandocumque de nouo gratia infunditur, inuenitur motus liberi arbitrij virtualiter saltem se extendens ad aliquod veniale, idcirco possumus præsumere, quod quandocumque gratia de nouo infunditur, aliquod veniale remittatur.

8.

Obiectio 2.

Obicitur 2. inter homines amicus per opera amicitia facili meretur remissionem minorum offensarum, ergo similiter iustus idem potest promereri apud Deum per qualibet bona opera supernaturalia.

Resp.

Resp. negando consequentiam, si consequens intelligatur de bonis operibus supernaturalibus, quæ non sint saltem virtualis penitentia venialium. ratio est quod nobis constat Deum longè aliter se gerere in remittendis peccatis, quam homines. nam homines sepe condonant etiam graues culpas in se commissas absque vlla retractatione eius, qui peccauit, cum tamen constet Deum requirere virtutalem saltem penitentiam pro remissione mortalium. 2. constat homines sepe condonare ipsas culpas, non admittendo ad amicitiam eum, qui peccauit; Deus autem nulli condonat peccatum mortale nisi eum ad suam amicitiam admittat, ei quæ gratiam sanctificantem infundat. vnde in præfati materia dicimus ex iis, quæ inter homines contingunt, non aptè concludi Deum remittere veniale sine penitentia etiam virtuali, cum, si ea non intercedat, voluntas censetur peccato inherere.

D V B I V M II.

Vtrum ad remissionem peccati venialis extra Sacramentum requiratur perfecta penitentia?

9.

Sensus qua-
stionis.

PER penitentiam perfectam intelligo contritionem, & quæro num ad hoc, vt aliquis in hac vita consequatur remissionem peccati venialis extra Sacramentum, sit necessaria contritio formalis, aut saltem virtualis, quæ in amore Dei super omnia implicite inuoluatur? ita vt secundum legem Dei ordinariam veniale non remittatur extra Sacramentum per actum aliquem penitentia imperfectiorem.

Affirm.
Richard.
Palud.
Petr. Vals.
Sot.

Affirmant Richard. dist. 16. art. 5. q. 1. Palud. eadem dist. q. 1. art. 2. Petrus Soto de institutione sacerdotum, lectione 18. de penitentia, & plures alij, quos citat & sequitur Vasquez hic dubio 1. num. 17. qui idem docet 1. 2. tomo 2. disput. 207.

cap. 4. cui sententia videtur fauere S. Tho. præfati articulo in Corpore, cum explicans virtutalem penitentiam necessariam ad remissionem culpæ venialis censet esse eam, quæ quis fertur eo modo in Deum, & res diuinas vt, quidquid sibi occurreret, quod eum ab hoc motu retardaret, ei displiceret. vbi solum videtur agnoscere motum dilectionis Dei super omnia tanquam sufficientem penitentiam virtutalem pro remissione venialium, & per consequens videtur indicare non posse etiam aliam penitentiam formalem sufficere ad remissionem venialium, quam perfectam, vt sit proportio inter virtutalem penitentiam & formalem. idem indicat articulo sequenti ad 2. & clariùs art. 3. in Corpore, & in solutione 1. & 3. quod confirmari potest ex eo quod art. 3. in Corpore censet per Eucharistiam, extremam unctionem, & vniuersaliter per omnia Sacramenta nouæ legis venialia remitti, non videtur autem S. Tho. velle nullam requiri penitentiam, vt remittantur in Sacramentis. quod si requiratur penitentia aliqua vt Sacramenta etiam deleant venialia, signum est iuxta S. Tho. non sufficere imperfectam penitentiam seu attritionem, vt ea deleantur extra Sacramentum, & proinde ad remissionem venialium extra Sacramentum iuxta D. Tho. requiri perfectam penitentiam formalem, vel virtutalem, hoc est, contritionem vel amorem Dei super omnia. idem sumi potest ex articulo 4. q. 79. in Corpore, vbi docet per Sacramentum Eucharistia remitti venialia, non vult autem solum remitti mediata, scilicet, quatenus ratione Eucharistia conferuntur homini gratiæ præuenientes, quibus excutitur ad detestationem venialium, sed etiam immediata, cum in illo articulo eo modo tribuat remissionem venialium Eucharistia, quo negauerat articulo precedenti remissionem mortalium, quod tamen videretur falsum, si ad deletionem peccati venialis extra Sacramentum sufficeret penitentia imperfecta, scilicet attritio formalis, vel virtualis: quia semper peccatum præueniretur deletum, & ita propriè Eucharistia (idem est iudicium de aliis Sacramentis) nunquam deleter veniale.

Plures tamen censent sufficere attritionem. tenet Bonauentura dist. 21. art. 1. q. 2. indicat Caiet. hic in fine commentarij, quamuis Vasquez eum citet pro sua sententiâ; tenet etiam Soto dist. 19. quæst. 2. artic. 1. §. ex his inferitur, Valentia disp. 7. quæst. 4. puncto 1. Suarez disp. 11. sect. 3. num. 3. vbi

Aduerte hanc attritionem debere esse supernaturalem, quia merè naturalis non potest esse proportionata effectui remissionis culpæ, qui est opus supernaturale. est contra Durand. dist. 16. qu. 2. indicantem per attritionem naturalem deleteri veniale, cuius sententia falsa est, vt ostendit ratio iam facta. 2. constat ex Concilio quod per vires naturæ nihil possumus, quod ad pietatem pertineat; huiusmodi autem attritio pertineret ad pietatem, si ratione illius veniale posset deleri, cum per huiusmodi remissionem tollatur impedimentum quod potest retardare consecutionem regni caelestis.

Confirm. in hoc rerum statu, in quo homo non est relictus in puris naturalibus, sed conditus ad finem supernaturalem, constat remissionem venialium esse beneficium supernaturale, & eiusdem ordinis cum ipso fine, & proinde dispositionem conuenientem ad huiusmodi beneficium obtinendum debere esse supernaturalem. Eadem attritio debet habere coniunctum propositum virtuale

virtuale in posterum abstinendi, prout humana fragilitas patitur.

Quamvis in presenti dubio non possit haberi ea certitudo, quae habetur quoad remissionem mortalium: videtur tamen probabiliter dici posse quod ad remissionem peccati venialis extra Sacramentum obtinendam sufficiat attritio supernaturalis de peccato, prout statuit secunda sententia, pro cuius probatione

Suppono 1. siue contritionem, siue attritionem non concurrere ad deletionem peccati venialis tanquam causam formalem, vt diximus questione precedenti art. 1. dubio 3. de contritione respectu remissionis peccati mortalis, quia contritio etiam respectu remissionis venialium conformis Concilio potest poni dispositio, ergo non est causa formalis remissionis, vt enim loco citato diximus, vna eademque numero forma non potest esse dispositio, & causa formalis respectu eiusdem effectus.

Suppono 2. etiam contritionem non ita concurrere ad deletionem peccati venialis ex natura rei, vt ea posita nullum aliud beneficium Dei debeat intercedere ad hoc, vt peccatum veniale remittatur, sed dico intercedere condonationem, quae Deus condonat peccatum, cum posset non condonare, qui proinde potest condonare, licet ponatur actus inferioris cuiusdam perfectionis, vt patet in remissione mortalium, quae fit per Sacramenta baptismi, & penitentiae, ad quae commutatori sententia sufficit attritio, vnde dico remissionem venialium non ita requirere oppositionem inter ipsum peccatum veniale, & id quo tollitur, vt per nihil aliud se habens per modum dispositionis tolli possit, his suppositis

Probatur conclusio 1. peccatum veniale est levis offensio, igitur ad illius remissionem non videtur exigi tam perfecta penitentia, quam exigitur ad remissionem mortalium, sed inferior alia sufficit, per quam peccatum retractatur, modò sit supernaturalis à nobis descripta, porro per attritionem retractari voluntatem patet ex Tridentino sessione 14. cap. 4. & confir. nulli vnquam contingit remitti mortale sine eiusdem peccati retractione, cum tamen communi sententia in baptismo remittatur mortale, cuius habetur attritio.

Confir. argumentum, Deus non videtur exigere tam praestantem dispositionem, vt alicui remittat parvam offensam, & quae saepe ab hominibus committitur saluam amicitiam, quam exigit pro offensâ, quae dissoluit amicitiam, & per quam homo constituitur Dei inimicus, cum id nullo modo sit consonum diuinae bonitati, & misericordiae.

Probatur 2. si ad remissionem venialium exigitur formalis, vel virtualis contritio, remissio venialium secundum se erit difficilius, quam mortalium, quod statim apparet durum, & non concedendum, prior pars patet ad remissionem peccati mortalis sufficit contritio, quâ homo doleat de peccato, vt summè repugnante diuinae bonitati, hec autem non sufficit ad remissionem venialium, sed viterius debet se extendere saltem virtute ad ea, quae saluam amicitiam Deum offendunt, quod reddit contritionem perfectionem, & ita contritio proportionata remissioni venialium debet esse perfectior contritione, quae sufficit pro remissione mortalium, & proinde si requiratur contritio vt veniale extra Sacramentum remittatur, eius remissio erit difficilius, quam remissio peccati mortalis, id autem apparere durum patet, quia videtur valde durum, & per se minus probabile, quod vel ex rei

naturâ, vel ex diuina voluntate requiratur perfectior dispositio ad obtinendam remissionem levis culpa, quam grauis.

Confir. videtur planè improbabile, quod homo iustus, & Dei amicus, per se loquendo, difficilius obtineat remissionem levis offensae, quam inimicus obtineat grauis culpa.

Dices, iustum cum eodem auxilio facilius eliciturum contritionem, quae etiam se extendat ad culpas veniales, quam peccator eliciat contritionem mortali.

Resp. etiam eo concessio non ostendi, quod medium obtinendi remissionem venialium in iusto non sit difficilius, per se loquendo, quod enim iustus facilius conteratur, vel non conteratur de veniali, quam peccator de mortali, non facit quod medium, quo acquiritur remissio venialium, secundum se non sit difficilius, & quod spectando ipsos actus in se, medium per quod acquirenda est remissio peccati venialis, non sit magis arduum, quam sit medium, quo acquiritur remissio peccati mortalis.

Ex his sequitur quod ad remissionem venialium in iusto sufficiat dolor de veniali, quia retardat ab afflictione regni caelestis, quia meretur poenam purgatorij seu ex metu poenarum purgatorij, quia aliquo modo repugnat virtuti, v. g. excessus venialis in cibo aliquo modo repugnat temperantiae, defectus venialis in iuramento aliquo modo repugnat religioni, & ita de aliis.

Ex qua sententia patet quomodo remissio venialium non sit connexa, quia potest haberi attritio de vno veniali, licet non habeatur de alio.

Porro quemadmodum ad remissionem mortalium extra Sacramentum acquirendam sufficit virtualis contritio, vt supra ostendimus, ita ad acquirendam remissionem venialium sufficit virtualis eorundem attritio, quae attritio censetur adesse, quando homo ita afficitur erga virtutem, vt si menti illius occurrerent defectus veniales, perfectioni eiusdem virtutis repugnantes, illos omnino detestaretur quantum est ex vi praesentis affectus, & dispositionis, proponeretque illos vitare, quantum humana fragilitas pateretur, quemadmodum enim dilectio Dei super omnia virtualiter includit contritionem, quia ex modo tendendi in suum obiectum continet implicitam detestationem eius, quod diuinae bonitati summè repugnat, & si peccatum mortale menti obiceretur, ex vi motus dilectionis Dei homo illud detestaretur super omne malum, ita affectus virtutis à nobis descriptus dicendus est virtute includere attritionem propter rationem allatam, vnde qui ita appetit beatitudinem, vt ex vi talis affectus detestaretur quidquid eius afflictionem retardaret, dici potest habere virtutalem attritionem peccatorum venialium, eamque sufficere ad remissionem eorundem extra Sacramenta acquirendam, si contineat implicitum propositum ea in posterum cauendi quantum poterit, similiter qui ita afficitur veracitati christianae, vt si eius menti occurreret mendacium quod commisit, illud detestaretur ex vi talis affectus, dicendus est habere virtutalem attritionem mendacij sufficientem, vt hoc peccatum ei condonetur.

Ex quibus redditur probabile, quod docet Scotus superiori dubio citatus, scilicet opus pium relatum ab operante ad finem obtinendi veniam peccati venialis, eam obtinere, quamvis enim eius fundamenta supra reiecerimus, & communiter reiciantur: ipsa tamen doctrina verum sensum habere

Coroll.
sufficere
dolori ex
eo quod
retardat à
regno cae-
lesti, quod
mereatur
poenas pur-
gatorij, vel
quia aliquo
modo re-
pugnat vir-
tuti &c.

12.
Attritio
virtutis
quando
censetur
essere spe-
ctu venia-
lium.

Qui ita ap-
petit beati-
tudinem vt
ex vi talis
affectus de-
testaretur
quicquid
adeptione
retardaret,
est virtuali-
ter attritus
de veniali-
bus &c.

13.
Scoti sen-
tentia ad
probabile
sensum re-
ducatur.

bere potest etiam admissio quod peccatum veniale verè relinquit aliquam maculam in animâ (quod supra ostendimus) quia nimirum opus pium ad talem finem relatum, potest censerî continere virtutalem delectationem, dolorem, & attritionem peccati, censerem tamen requiri implicitum propositum vitandi tale peccatum à nobis explicatum.

14.
Obiectio 1.

Contra resolutionem obiicitur primò, quod ex usu Ecclesiæ constet peccata venialia in homine iusto esse sufficientem materiam confessionis, & absolutionis, ergo Sacramentum penitentiae potest habere effectum remissionis peccati venialis: quem tamen non haberet, si sufficeret attritio ad deletionem peccati venialis, quod patet, quia illa requiritur ad Sacramentum penitentiae, atque ita ipsi Sacramento semper præsupponeretur remissio peccati, huic argumento, quod videtur præcipuum alterius sententiae, variae adhibentur solutiones, citatur Sotus, qui censet quamvis ad remissionem peccati venialis extra Sacramentum requiratur attritio supernaturalis; ad eandem tamen in Sacramento obtinendam sufficere naturalem, atque adeo veniale etiam in iusto ita posse esse materiam confessionis, ut eius remissio non necessariò præsupponatur absolutioni. sed hæc doctrina nullo modo videtur probanda; ut patet ex iis quæ contra Durandum dicta sunt, quod scilicet nihil possimus per vires naturæ, quod ad pietatem conducat, adferuntur etiam aliae solutiones, quibus prætermisiss.

Responsio
Sotus à quibusdam citatur.

Improbatur.

Resp. aliam.

Resp. nullum esse inconueniens, si dicatur, quod in iusto legitime confitente veniale, semper absolutioni præsupponatur eius remissio: sufficit enim quod Sacramentum penitentiae actu debeat veniale mortali coniunctum, seu quando simul cum mortali nondum remisso subiicitur clauibus. nullum, inquam, est inconueniens, si veniale solum non tollatur reipsa quoad culpam per absolutionem, patet in simili in peccatis mortalibus semel legitime confessis, quæ per absolutionem non ita tolluntur reipsa, quasi non fuerint antea remissa. quomodo autem in iis casibus verificetur forma, dicetur in sequentibus: videri potest Suarez disp. 11. sect. 3. num. 78. dicunt etiam aliqui quod licet aliquis dolor requiratur in Sacramento penitentiae, etiam quando sola venialia subiiciuntur clauibus, cum aliqua attritio sit pars huius Sacramenti, sufficiat tamen imperfectior, quam requiratur pro remissione eorundem extra Sacramentum, scilicet dolor, qui non habeat adiunctam absolutam voluntatem non peccandi. dummodò simul non coniungatur actualis voluntas peccandi, quia, spectata humanâ fragilitate, & diuinâ clementiâ videtur satis consonantem quod ad acquirendam remissionem venialium per Sacramentum, imperfectior illa penitentia sufficiat: quia respectu venialium homo agere concipit absolutum propositum non peccandi, de quo tamen infra, quando de prima parte Sacramenti penitentiae erit sermo.

Obiectio 2.

Resp.

Obiicitur 2. quod conclusio repugnet S. Th. locis initio dubij citatis.
Respondeo negando assumptum. ad primum locum dico S. Th. præfenti articulo in Corpore assignare quidem vnum modum virtualis penitentiae sufficientem ad remissionem venialium, non tamen docere nullum alium inferiorem sufficere, nec quidquam huiusmodi aliis locis indicari, ut faciliè patebit illa consideranti. imò artic. 3. in Corpore videtur non obscurè indicare huiusmodi

inferiorem motum sufficere, cum initio Corporis dicit: *Resp. dicendum quod ad remissionem venialis peccati non requiritur noua gratia infusa, sed sufficit aliquis actus procedens ex gratia, quo aliquis delectetur peccatum veniale vel explicitè, vel saltem implicitè, sicut cum aliquis seruetur in Deum.* quibus verbis videtur indicare, quod quilibet actus, quo aliquis saltem implicitè delectetur veniale, sufficiat ad illius deletionem (si videlicet habeat saltem implicitum propositum vitandi peccatum in futurum) & actum charitatis solum poni per modum exempli virtualis penitentiae, non verò statui tanquam adæquatam modum, quo illa possit haberi.

Ad id quod de remissione venialium per Sacramenta adfertur, resp. non concludere S. Th. sentire venialia extra Sacramenta remitti per solam formalem, vel virtutalem perfectam penitentiam, quia loco cit. qu. 79. non satis liquet, an requiratur aliquem voluntatis motum in peccata venialia ad hoc, ut per Eucharistiam remittantur, & aliqui sentiunt per Sacramenta remitti veniale sine motu penitentiae, ut Valentia disp. 7. q. 4. puncto 1. §. *observauit autem*, quamvis S. Th. articulo sequenti huius quæstionis videatur eum requirere, ut patet ex fine Corporis, & videatur probabilis etiam ad remissionem venialium, quæ fit per Sacramenta, requiri aliqualem motum penitentiae in illa, ut minimum imperfectæ, quam aliqui requirunt etiam in Sacramento penitentiae.

D V B I V M III.

Quomodo remittatur peccatum veniale hominis iusti cum eo ex hac vita decedentis?

Dico hominis iusti, in quo peccatum veniale inuenitur separatim à mortali. quamvis enim Scorus, & quidam alij existiment veniale mortali coniunctum posse remitti ex eo fundamento aliquoties reiecto, quod post actum peccati solum remaneat reatus poenæ & obligatio ad eam sustinendam, quæ finita debetur pro peccato veniali: longè tamen verius est peccatum veniale coniunctum mortali nunquam deleri, quia iuxta communem sententiam etiam veniale relinquit maculam, ad cuius deletionem requiritur retractatio voluntatis, quam damnati nunquam adhibebunt, utpote obstinati in malo. addi etiam potest quod licet aliquam fortè possent adhibere, ea minime sufficeret ad peccati deletionem, utpote naturalis. hoc præmissis.

Aliqui, ut passim referunt auctores, senserunt nostrum casum esse impossibilem, cum si iustus non agat, quod potest, tempore mortis ad expiationem peccati venialis, sit graue peccatum commissurus, & amissurus gratiam sanctificantem, cum in eo videatur inueniri quidam contemptus propriæ salutis, & diuinæ clementiæ, verum id sine dubio potest non esse impossibile.

Apud Doctores passim tanquam certum tenetur hominem posse cum solo veniali ex hac vita decedere, neque in eo quod neglexerit in hac vitâ illius remissionem consequi, meritò censerî propriam salutem neglexisse, cum sciatur veniale non tollere statum gratiæ, & proinde non præcludere aditum ad regnum cælestè. adde hominem posse ignorare se esse in statu peccati venialis, posse item præueniri ne agat penitentiam de tali peccato.

3. etiam

3. etiam admittit illa sententiâ posse ignorare se in hac vitâ debere agere pœnitentiâ de veniali. itaque constat tam ex rei naturâ, tum per accidens eam non esse impossibilem. quo supposito queritur, quomodo peccatum tollatur post hanc vitam. nam debere tolli constat, cum nihil coinquatum possit introire in regnum cœlorum.

Aliqui existimant illud paulatim remitti per tolerantiam pœnarum in purgatorio, alij vero censuerunt tolli successivè ratione bonorum actuum, & voluntariæ acceptationis pœnarum, ut Sotus dist. 15. q. 2. art. 2. in fine.

Probabilior sententia tenet omnia peccata venialia deleri in primo instanti separationis animæ à corpore: quia eo instanti anima perfectè cognoscens suum statum movetur in Deum per actum dilectionis super omnia, & detestationis suorum peccatorum, quatenus aliquo modo repugnant infinitæ Dei bonitati. qui actus non concurrunt quidem per modum meriti, quia meritum simul cum hac vita finitur, ut passim traditur 1. 2. q. 114. sed per modum dispositionis ad deletionem peccati venialis. cum enim homo in veniali existens non possit intrare regnum cœlorum, debet tolli illud impedimentum, quod tamen non tollitur sine aliqua retractatione, ratione cuius homo disponatur ad remissionem à Deo obtinendam. hæc sententia optime rem explicat, nec vllum incurrat incommodum, in quod aliæ incidunt. & satis constat saltè posse fieri, igitur omnino probabilior est ita fieri.

Prior sententiâ inde redditur improbabilis, quod in reipsâ incidat in sententiâ Scoti, vel minus solidè procedat, cum tolerantia pœnarum se sola non adferat mutationem voluntatis: quæ tamen requiritur ad remissionem peccati, cum satis constet requiri in hac vitâ, & non sit ratio cur censeamus non requiri in alterâ, cum etiam anima post hanc vitam eam possit adhibere. Confirmatur, primo instanti separationis ipsa anima potest elicere perfectam contritionem peccatorum etiam venialium, cum illa perfectè cognoscat, & ex parte voluntatis nihil sit quod motum huiusmodi impediatur; atqui talis actus abunde sufficit per modum dispositionis ad acquirendam venialium remissionem, igitur remissio peccatorum in alia vita non est referenda in aliud, quod se teneat ex parte hominis. ex quâ ratione Resolutio 2. sententia relata. contritio omnium venialium in primo instanti elicitâ abunde sufficit, ut omnia venialia eodem instanti remittantur, ergo sine fundamento requiritur successio ad obtinendam remissionem venialium post hanc vitam.

Aduerte longè verius esse ratione huiusmodi contritionis elicite in primo instanti separationis animæ à corpore non condonari quidquam pœnæ debite propter peccata venialia: quia pœna debet tolli per satisfactionem, meritum, vel satis passionem; atqui post hanc vitam ex Dei ordinatione non est locus merito, vel satisfactioni, sed soli satisfationi, ergo per solam satisfationem debet tolli in purgatorio. si quis tamē martyr decesserit cum veniali videtur verius quoddam remissâ culpâ per contritionem, simul remittatur pœna ratione martyrij.

Contra resolutionem videtur facere Greg. 4. dialogorum cap. 24. docens Deum purgare levia peccata iustorum ipsâ mortis acerbitate.

Resp. Gregorium non velle universaliter peccata venialia iustorum illorum morte deleri, sed solum velle Deum interdum permittere viros san-

ctos grauitè affligi, ut per huiusmodi afflictionem patienter acceptatam disponantur ad obtinendam remissionem suorum peccatorum.

ARTICVLVS II.

Vtrum ad remissionem venialium peccatorum requiratur gratia infusio?

RESPONDET negativè, quod patet ex dictis dubio precedenti, ubi ostendimus peccata venialia iusti, quæ in vita remissa non sunt, remitti in alterâ vitâ, ubi tamen non datur noua gratia habitualis; nam alioquin homo admitteretur ad maiorem gradum gloriæ, quàm fuerit illi debitus in hac vitâ.

Probat etiam conclusio: peccatum veniale neque repugnat gratiæ, neque eius augmento, cum homo etiam summâ gratiâ sanctificante præditus possit habere maculam peccati venialis: ergo ex eo capite ad eius remissionem non requiritur infusio gratiæ.

Aduerte tamen peccatum veniale non tolli per Sacramenta sine gratiæ infusione, quia nullum Sacramentum confert peculiarem suum effectum, nisi etiam conferat gratiam. Confir. Sacramenta nouæ legis conferunt gratiam sanctificantem omnino ponenti obicem, ut definitur in Trid. sess. 7. Capone 6. sed nullus accedens ad Sacramentum legitime dispositus ad peccatorum venialium remissionem per illud acquirendam dici potest ponere obicem gratiæ, ergo.

Vtrum infundatur gratia, quodcumque veniale iusto remittitur in hac vitâ extra Sacramentum, pendet ex ea quæstione an quodcumque iustus exercet actum supernaturalem semper augeatur gratia, quod exactius tractari solet 1. 2. q. 114. D. Th. hic responsione ad secundum indicat reipsâ non augeri, & indicat non semper infundi gratiam, quando peccatum veniale extra Sacramentum remittitur: plurimis tamen placet iustum per quemlibet actum supernaturalem etiam remissionem habitu mereri gratiæ augmentum, quod statim concedatur. ex quâ sententiâ sequitur infundi gratiâ quotiescumque veniale etiam extra Sacramentum remittitur, cum ea remissio non fiat absque interuentu pij alicuius motus voluntatis, & per consequens in hac vitâ nunquam remitti peccatum veniale absque infusione gratiæ habitualis. ubi tamen

Aduerte 2. hanc gratiæ infusionem extra Sacramenta solum concomitanter se habere ad remissionem peccati venialis, non verò per se, ut ex dictis patet, quia gratia habitualis non repugnat peccato veniali.

Sed hinc oritur difficultas per quid tollatur formaliter veniale? Vsq. hic censet quoddammodo tollitur extra Sacramentum, tollatur formaliter per ipsum contritionis actum, in Sacramento verò per gratiam sanctificantem, quæ opponitur veniali non quidem secundum se præcisè sumptam, sed ut confertur ex tali dispositione. cuius prius dictum non placet: quia contritio, vel attritio non videtur se habere per modum formæ physicè repugnantis cum peccato, sed solum per modum dispositionis, ut in superioribus censuimus cum Suarez.

Dicendum igitur videtur quoddammodo dispositione à Deo requisitâ remissio peccati venialis non fiat extra Sacramenta formaliter per vllam formam inhærentem, sed per simplicem Dei condonationem.

Ee

nem

22.

Resp. neg.

23.

Iustus per quemuis actum supernaturalem etiam habitu remissionis probabiliter meretur augmentum gratiæ. Gratia infusio extra Sacramenta tantum concomitanter se habet ad remissionem venialis.

24. Difficultas.

Vsq. refellitur.

Contra. postea dispositione à Deo requisitâ, remissio peccati venialis fit per simplicem Dei condonationem.

nem. id apertè sequitur ex sententiâ, quæ tenet contritionem, vel attritionem solum esse dispositionem respectu remissionis venialium, quod tradit Suar, tum alibi, tum disp. 11. sect. 4. num. 11. Probat, peccatum veniale remittitur post hanc vitam nullâ intercedente formâ intrinsicâ, quâ formaliter deletur, igitur potest dici eo modo in hac vitâ deleri, & proinde per simplicem cōdonationem Dei. quamvis ergo dum remittitur venialia, interueniat reipsâ gratiæ infusio: ea tamen solum videtur concomitanter se habere, & non pertinere per se ad illius deletionem.

Dices iuxta dicta nulla inuenitur forma impossibilis veniali.

Resp. ad hoc vt veniale tollatur, non requiri huiusmodi formam physicè oppositam, vt ostendimus in remissione, quæ fit post hanc vitam, sed sufficere simplicem Dei cōdonationem, ex quâ voluntas moraliter redditur rectificata.

Dices hac ratione peccatum veniale dicitur remitti per solam non imputationem, quod videtur accedere ad errorem hæreticorum nostri tēporis.

Resp. neg. assumptum: quia vera cōdonatio Dei differt à non imputatione hæreticorum: nam illi ita volunt peccata non imputari, vt tamen remaneat, quod sine dubio falsum est, & erroneum: nos verò id non dicimus, sed Deum ita cōdonare, vt homo à parte rei non sit ampliùs in peccato veniali.

Dices, mortale non remittitur sine huiusmodi intrinsicâ formâ inherente, ergo nec etiam veniale.

Resp. neg. consequentiam. ratio disparitatis, est, quod per peccatum mortale homo constituitur inimicus Dei; de potentiâ autem saltem Dei ordinariâ non remittatur peccatum, nisi admittatur ad diuinam amicitiam, ad quam non admittitur de facto sine formâ inherente, quâ redditur Deo gratus & amicus, vnde peccatum mortale nunquam de facto potest remitti sine infusione gratiæ, quæ est forma iustificans, per quam constituimur Deo grati, & ius acquirimus ad vitam æternam, peccatum verò veniale non soluit Dei amicitiam, & ideo ex eo capite ad eius remissionem non requiritur per se gratiæ infusio, quæ non potest ostendi ex alio capite per se requiri.

Dixi extra Sacramenta, quia cum in Sacramento pœnitentiæ, conferatur gratia, vnde remissa peccata, ea dici potest per se conferri ad remissionem venialium, quæ clauibus subiiciuntur.

Notandum S. Th. eodem articulo in fine corporis docere, quauocumque de nouo gratia infunditur, peccata venialia remitti: quia in habentibus vsum liberi arbitrij non contingit esse infusionem gratiæ sine actuali motu liberi arbitrij in Deum, & in peccatum. quod dictum, vt aduertit Caiet. in fine commentarij intelligendum communiter, quia videlicet accedens ad Sacramentum, vel exercens aliquem actum, propter quem remittuntur peccata, non videtur restringere dolorē ad sola mortalia, sed dolere de offensâ Dei in cōmuni, in quo implicite comprehenduntur venialia saltem grauiora, quæ disponunt ad mortalia: non verò ita accipitur, quasi aliter fieri non possit, cum satis constet secundum S. Thom. veniale non remitti absque virtuali saltem eiusdem pœnitentiâ; constet autem etiam contritionem mortalium inueniri posse, quæ nullo modo se extendat ad venialia.

ARTICVLVS III.

Utrum venialia peccata remittantur per aspersionem aquæ benedictæ &c. huiusmodi?

AFFIRMAT.

Notandum varia vocari sacramentalia, vt orationem Dominicam, elemosynam, aquam benedictam, benedictionē Episcopi, vel Abbatis consecrati, confessionem generalem, tunsionem peccatoris, orationem in loco consecrato, & similia, quæ D. Th. docet operari ad remissionem peccatorum venialium. est verò

DVBIUM.

Quomodo sacramentalia concurrant ad remissionem peccatorum venialium?

ALIIQVI censent remittere veniale ex opere operato instar Sacramentorum. ita Victorius nu. 109. de pœnitentiâ, Canus relectione de Sacramentis in genere parte. 1. responsione ad sex. Sotus dist. 15. q. 2. art. 3. Valentia disp. 7. q. 4. puncto 1. §. secundò asserimus.

Alij negant hanc causalitatem. indicat D. Th. in corpore docens confessionem generalem, tunsionem peccatoris, orationem Dominicam operari ad remissionem venialium in quantum sunt cum aliquo motu detestationis peccatorum: benedictionem verò episcopalem, aspersionem aquæ benedictæ, orationem in Ecclesiâ consecratâ &c. operari in quantum sunt cum aliquo motu reuerentiæ in Deum, & ad res diuinas (quem motum censet continere virtutem detestationem venialium, vt patet tum ex alijs articulis, tum ex hoc in corpore) quod clarè etiam tradit responsione ad primum. idem tenet Durand. dist. 21. q. 3. Suarez disp. 12. sect. 2. num. 5. Lessius lib. 2. de iustitia cap. 43. dubitatione 10. §. de quæ re. Valquez hoc articulo, dubio 1. & plures alij, quorum sententia est omnino probabilior, iuxta quam

Dico sacramentalia solum concurrere ad remissionem venialium mediâtè, modis à S. Th. explicatis, vel similibus, excitando in nobis motum detestationis in Deum, qui virtute contineat pœnitentiam venialiū. quamvis autem prædicti motus non sèper inueniantur cōiuncti externis signis, quæ vocantur sacramentalia, & possint cum alijs coniuncti inueniri: aptè tamen venialia dicuntur per huiusmodi sacramentalia remitti, quia aliqua ex illis videntur speciali ratione habere cōiunctum dolorem, vt tunsio peccatoris, & confessio generalis, atq; peculiariter tribui videtur vis remittendi peccata, vt orationi Dominicæ, & elemosynæ, aliæ verò peculiariter instituuntur & sanctificantur ab Ecclesiâ ad impetrandum auxilium, per quod excitemur, & promoueamur ad pœnitentiam peccatorum, vt aqua benedicta, alia sunt peculiariter instituta ad excitandum in nobis motum reuerentiæ in Deum & res diuinas, & proinde prædictis modis potest sacramentalibus tribui vis remittendi venialia.

Alius

In Sacramento pœnitentiæ gratia dici potest dari per se ad remissionem venialium.

26.

Alius verò modus, quem tribuit prior sententia nullâ ratione videtur eis conuenire, pro cuius rei probatione

Suppono non competere illis ex diuinâ institutione: tum quia nullus id asserit: tum quia nullum exstat vestigium vel in Scripturâ, vel in traditione, quod præter septem Sacramenta Christus instituerit alia signa ad remittenda peccata etiam venialia ex opere operato. restat ergo vt ea vis dicatur competere sacramentalibus ex institutione Ecclesiæ, quod nullo modo videtur asserendum. primo ex nullo solido fundamento potest ostendi, quod Ecclesiæ sit concessa potestas instituendi media, quæ ex se, & immediatè conducat ad interiorem hominis renovationem, ergo non potest dici sacramentalia immediatè operari remissionem venialium, cum hæc remissio non fiat absque renovatione morali eius, cui condonantur venialia.

Confir. antecedens, si hæc potestas competeret Ecclesiæ, illa posset immediatè absque villo huiusmodi signo venialia remittere, quod nullo modo est asserendum. sequela probatur, potestas instituendi signa remissiva culpæ supponit potestatem condonandi ipsam culpam, quæ potestas non debet dici astricta certis signis, quod probatur, si Ecclesiæ habeat eam potestatem tanquam ex conaturali sua auctoritate, ita vt in eo non censeatur instrumentum alterius, non possumus cum solido fundamento illam potestatem ad signa externa restringere, quasi non possit vti eâ potestate, nisi intermediis illis signis, quod si dicatur illam potestatem competere Ecclesiæ ex ministeriali auctoritate, atque ad eam non nisi restrictè, oportet sufficienter docere de huiusmodi restrictione concedentis, aliâ id gratis asseretur. imò id minùs conuenienter asseri ostenditur à simili, licet Ecclesiæ solam habeat potestatem ministerialem concedendi indulgentias, quibus penæ remittuntur, potest tamen ex causâ eas concedere nullo interueniente opere ex parte eius, qui eas lucratur.

Secundò, quando in indulgentiis dicitur fieri remissio peccatorum, Doctores passim interpretantur de remissione penarum, ad quam interpretationem non esset necesse recurrere, si in Ecclesiâ esset potestas instituendi media ex se delectiva peccati venialis. nam huiusmodi formulæ commode possent explicari & remissione venialium, quod videlicet per illas pontifex peccatorum venialium remissionem concederet.

Tertiò etsi concederetur Ecclesiæ concessam potestatem instituendi sacramentalia, quæ ex opere operato deleant venialia: nullo tamen modo constat illa in hunc finem esse instituta, imò ex orationibus Ecclesiæ, quæ in quibuscumque sacramentalibus adhibentur, verbi gratia in benedictione aquæ, in consecratione Episcoporum, Virginum, Ecclesiæ, satis colligitur Ecclesiæ solùm petere salutem mentis, & corporis &c. atque ad eam colligitur non igitur ad aliquem effectum ex opere operato conferendum, solùm ergo peti Ecclesiæ, vt hæc nobis prosint, & vt per illa impetremus auxilia ad pœnitentiam de peccatis agendam, aliqua sunt peculiariter instituta ad fideles excitandos ad pœnitentiam, alia ad impetrandam varia beneficia, quibus contra demonem iuue-mur, & præseruemur contra eiusdem insultus &c.

Contra resolutionem potest obijci quoddam Aug. cap. 71. Enchiridij agens de oratione Dominica

dicat: de quotidianis breuibz lenibzque peccatis, sine quibus hæc vita non ducitur, quotidiana oratio fidelium satisficit, & infra: delet omnino hæc oratio nimia & quotidiana peccata, delet illa, à quibus vita fidelium sceleratè etiam gesta, sed pœnitendo in melius mutata discedit. quibus verbis videtur docere per orationem Dominicam remitti peccata venialia, & mortalia. illa quidem sine pœnitentiâ: ad horum verò remissionem requiri pœnitentiâ.

Resp. negando Augustinum id docere: solùm enim vult mortalia non facillè remitti si quis in eis perseueret, non, inquam, facillè remitti per orationem Dominicam, impetrando Spiritum compunctionis, sed opus esse mutare vitam in melius: quotidiana verò, quæ ex humanâ fragilitate committuntur, facillè remitti quamuis iterentur, eò quod per orationem Dominicam impetretur facillè auxilium ad detestationem illorum concipiendam, videri potest caput præcedens, ex quo aliquâ ratione patere potest hæc solutio.

ARTICVLVS IV.

Vtrum veniale peccatum possit remitti sine mortali?

SICILICET si in aliquo inueniatur mortali coniunctum.

Affirmat Scotus dist. 21. q. 1. Durand. dist. 16. q. 2. sed Diui Th. Conclusio est negatiua: quia, inquit, remissio cuiuscumque culpæ nunquam fit nisi per virtutem gratiæ, per quam gratiam intelligit habitualement, vt patet ex responsione ad tertium. vult ergo docere quoddam, vt aliquis consequatur remissionem peccati debeat habere antecederet gratiam, vt contingit in iusto, qui acquirit remissionem peccati venialis, vel saltem habere eodem instanti receptam, vt patet in eo, cui remittitur mortale; igitur nullus habens veniale simul cum mortali potest acquirere remissionem illius, nisi etiam mortale eidem remittatur. quod etiam probatur ex Scripturâ, ecclesiastici 34. dona iniquorum non probat altissimus, nec respicit in oblationes iniquorum, nec in multitudine sacrificiorum eorum propitiabitur peccatis respiceret autem, si remitteret veniale absque mortali.

2. Opus peccatoris est mortuum, igitur non est vtile ad vitam æternam consequendam, cum opus ad eam vtile debeat esse viuum, ita vt procedat à viuo spiritualiter, vel saltem adferat iustitiam.

3. Indignus est venia, qui neglecta graui offensâ deprecatur pro leniori, & cupit ab eo impetrare veniam, à quo vult remanere auersus.

Idem dicendum de veniali coniuncto cum originali, si cum solo originali possit inueniri, scilicet veniale non remitti absque originali. & hæc intelliguntur de lege ordinaria: nam de potentiâ absoluta veniale videtur posse remitti sine mortali, vel originali: quemadmodum supra diximus vnum mortale de potentiâ absoluta posse remitti sine alio.